PHYSICÆ SUBTERRANEÆ
Liber primus.
Sectio prima de Creatione Universi Orbis.
Caput primum de Creatione cœli.

SYNOPSIS.

N. 1. *Explicatio verbi creare.* N. 2. *cur cœlum primo fuerit creatum.* N. 3. *differt ab isto cœlo, quod firmamentum vocatur.* N. 4. *cœlum statuitur pro principio & elemento Mundi primo.* N. 5. *adscribitur eidem rarefactionis & condensationis vis.* N. 6. *raritati & densitati omnium motuum causa assignatur.* N. 7. *Cœlum principium omnium motionum est.* N. 8. *ejus status in creatione & primus motus.* N. 9. *motus perpetuus mundi.* N. 10. *Veterum & recentiorum Philosophorum consensus cum hac opinione.* N. 11. *multa hoc modo commodius in Physicis explicantur.* N. 12. *continens cœli.*

TEXTUS.

N. 1. NUllibi legimus, Deum in *Creationis* principio præter cœlum & terram aliud quid *creasse*, reliqua enim omnia ex his *producta* sunt. *Cælum* ergo & *terra* proprie *creata* dicuntur, etsi enim Deum *hominem* quoque creasse, sacra Scriptura testetur, hæc tamen creatio non nisi *productive* ex primis creatis sumenda est; ex terra enim homo factus est, quam Deus in substantiam carneam formavit, & disposuit: quæ dispositio, productio potius, quam creatio vocanda est. Vocabulum ergo *creare* aut creatum esse circa hominis originem, de nobiliore ejus parte, nempe de ejusdem *anima*, quæ a Deo *creata* est, intelligendum esse nemo negabit. Cæterum ex dictis infertur, in *Physicis* nihil præter *cœlum* & *terram* creatum, id enim textus habet. *In principio*
N. 2. *creavit Deus cœlum & terram, &c. Cœlum* quidem non sine causa præponitur. *Cœlum* enim cum, ut ex sequentibus patebit, *locum* tantum denotet, in quo omnia creata subsistunt; necessario, ut locus ante locatum cujuscunque etiam momenti intervallo
N. 3. præcedere debebat, ut quæ postea crearentur, & producerentur, *locari* possent. Hoc vero Cœlum diversum cum *altero* esse, cujus Moses eodem capite versiculo octavo meminit, cum ait, *vocavitque Deus firmamentum cœlum, &c.* nemo non videt. Hoc enim productum, illud creatum est; nec *posterius* Cœlum principale hoc primum esse potuit, cum necdum firmamentum tanquam ejusdem materia adfuerit: concludendum ergo, *primum* hoc cœlum, quod *creatum* esse probavimus, primum Mundi
N. 4. *principium Universale* & Catholicum fuisse: quod non sine prægnantibus rationibus Elementum Mundi *Hyperphysicum* in posterum vocabimus. Nam ut inferius docebitur, *duo* tantum mundi principia primordialia existunt, unum *Hyperphysicum*, *Physicum* alterum. Heic loci vero de primo *Hyperphysico* tantum, nempe de *Cælo* loquimur,